

Vg  
4486



Q.1



Q.K.3943

Vg  
4486

INSIGNIA  
ILLVSTRISSI-  
MAE ET INCLYTAE FAMI-  
LIÆ MARCHIONVM BRAN-  
deburgensium, Elegiaco carmine  
celebrata, a

IOHANNE SCHOSSERO  
Poëta Laureato.

Cum Præfatione  
PHILIPPI MELANTHONIS.

VITTEBERGÆ,  
ANNO M. D. LVII.



1716

INSIGMA  
THE VESTIBL  
MAE TITICLYE FAMI  
LIE MARCHIONVM BRAN  
deputatus Belgico carmine  
edicta a

JOHANNES SCHLOSSER  
Pöchl Lantard

Philippi Melanthonis  
Cuius Praefatio

ANTWERP  
ANNO M. D. LVII



# ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBUS

ET DOMINIS, DOMINO IOACHIMO II.

Marchioni Brandenburgensi Electori, & cæteris

Principibus inclytis Marchionibus

Brandenburgensibus.

S. D.



MEMINI SUMMA CVM GRAVITATE narrare optimum Principem Iohannem Saxonix Ducem Electorem, cum duo Reges Matthias Hungaricus, & Casimirus Polonicus, adduxissent exercitus ad urbem Vratislaviam, & uterq; suo regno Silesiam adijcere conaretur, tantam fuisse uirtutem, & tantam concordiam duarum familiarum Saxonix & Marchix, ut sese ad Germanix defensionem coniunxerint, & ad societatem honestissimi cõsiliij adiunxerint uicinos Principes, apud quos plurimum et autoritate et beneuolentia ualebant. Duxerunt igitur Electores duo ERNESTVS Saxonicus, & IOHANNES Marchio sex millia equitum ad Regum castra, & ostenderunt, se utriq; regno amicos esse, Hungarico & Polonico, nec uelle se, ut bellũ inter se gerant exitiale Europæ, & utile Turcis, Hungari, Poloni & Germani. Quare honestas conditiones pacis utriq; Regi proposituros se esse dixerunt, quas uter ex Regibus accepturus sit, se ei suas copias adiuncturos esse, ut alter ui reprimatur, & cedere cogatur. Nec hos uicinos Principes passuros esse uastari Germaniam. Rex Casimirus & iusticiæ amans erat, & amicus Germanis Principibus, quare minus à pace abhorrebat. Matthias etsi ægrè ferebat sibi ferri leges, & cedebat inuitus, tamen cum uideret, se Polonis & Germanis, si coniungerentur non fore parem, conditiones proponi passus est. Re utrinq; diebus aliquot disputata, Elector Marchio totam causam complexus, con-

A 2

filia

filia Germanicorum Principum omnibus exercitibus, & pacis conditiones, & Regum uoluntates ac pacta, exposuit longa oratione horis quatuor. Duxerunt secum Electores in castra & adolescentes filios, credo ut pulcherrimæ coniunctionis memoriam eis magis commendarent. Narrabat igitur Dux Iohannes Saxonix Elector, se tunc adolescentem audiuisse hoc dici à Principibus & sapientibus uiris: Etsi multi in tantis exercitibus præstantes sapientia & eloquentia adfuissent, tamen existimari, tantam causam, tanta perspicuitate, & tanto splendore à nemine potuisse exponi, ut ab Electore Marchione Iohanne exposita fuerat.

Tanta fuit laus sapientix & eloquentix Electoris Marchionis. Hanc narrationem libenter repeto, acceptam à Principe fide digno, ut cum non extet scripta harum rerum Historia, posteris tamen nota sint hæc honestissima exempla sapientix & uirtutis Principum Germanix. Præcipue uero nota esse oportet ijs, qui in his nobilissimis familijs nati sunt, quos quidem exempla maiorum sæpe cogitare, & decet & ualde prodest. Quantū mouemur admiratione uirtutis, cum legimus res Romanas à primo bello Punico usq; ad tertium? Nam eo tempore modestia & iusticia ciuitatis præcipua fuit. Et tunc magnitudo animorum, constantia in consilijs, concordia Principum, disciplinæ seueritas, obedientia ciuium, maximè conspici potuerunt. His uirtutibus crescunt imperia, & uicijs contrarijs ruunt. Fuit igitur & in Germanicis Principibus uirtus, cum hoc imperium Germanicum constitutum est, & donec floruit. Quod quidem Europæ profuit, repressit irruptiones peregrinarum gentium, quæ aliàs in Italiam, aliàs in Germaniam infusæ sunt, sedauit domesticos & Italicos motus. Hæc merita aspiciantur, & simul uoluntas Dei in constituendis imperijs consideretur, & pulchritudo uirtutis in præstantibus uiris, in posteris etiam uirtutis amorem & imitationem accendat.

accendat. Hæc cogitanda sunt, cùm signa in clypeis aspiciuntur, quæ sunt & testimonia antiquitatis familiarum, quæ non possunt esse diuturnæ sine uirtute, & sunt monumenta rerum gestarum. Laudo igitur studium Iohannis Schoferi Poëtæ L. in illis signis celebrandis. Cumq; nobilissima familia uestra semper singulari liberalitate doctrinarum conseruationem adiuuerit, hunc quoq; uirum doctum & honestum Cellitudini uestræ reuerenter commendo. Memini me legere in codice manu scripto, Tempore Rodolphi Imperatoris Erfordiæ in conuentu Principum propositum esse typum Eclipseos, magnamq; tunc admirationem fuisse Scriptor narrat, posse has in cœlo uices prædici. Et addit in comitatu Marchionis Brandenburgensis, uirum doctum fuisse eius prædictionis autorem.

Illa igitur uetustas Marchionum etiam studijs doctrinarum fauit. Id nunc magis faciendum est, cùm doctrinæ magis notæ sunt, & magnitudo negotiorum hoc tempore eruditionem flagitat. Deus seruet & gubernet nobilissimam familiam Marchionum.

Dat. Vuitenbergæ 12. Augusti, Anno salutis reparatæ 1557.

Illustrissimæ familiæ Principum Marchionum Brandenburgensium  
addictus

Philippus Melanthon.

MELCHIOR SAVERVS  
CYGNÆVS.

**M**agnus Alexander statuum conspexit Achillis,  
Vt vastos Troiæ contigit urbis agros:  
Dixit & Æaciden fato meliore beatum,  
Cuius Mœonio carmine uiuat honos.  
Esse parum ducens, reges florere potentes,  
Quorum non uates inclyta facta canant.  
At nos Marchiacis Ducibus gratamur, honestam  
Virtutis laudem quòd melioris habent.  
Quodq; canunt horum præstantia facta Poëtæ,  
Ne citò Lethæis mersa ferantur aquis.  
Vt reliquos taceam, dulcissima scripta Sabinè  
Schofferiq; illos alta sub astra uehunt.  
Felices, quorum uiuit post funera uirtus,  
Felices, uatum quos monumenta canunt.

Philippus Melancthon

Philippus Melancthon



INSIGNIA

ILLVSTRISSIMAE ET

INCLYTAE FAMILIAE MAR-

CHIONVM BRANDEBVRGEN-

sium, Elegiaco carmine cele-

brata, à

IOHANNESCHOSSERO

Poeta Laureato.

**P**rotulit Ausonijs primum Zagarolla sub oris  
 Insignes meritis ac pietate Duces,  
 Quos penes ampla fuit custodia Noridos urbis,  
 Et qui Marchiacam nunc moderantur humum.  
 Quicq; per Imperij fines præstantibus actis  
 Non cessaturum promeruerè decus,  
 Hi sua non teneris animalibus arma coronant,  
 Quæ nihil ingenitæ nobilitatis habent.  
 Non ceruos leporesq; gerunt, imbellia quorum  
 Pectora sunt clypeo non satis apta Ducis.  
 At fortes aquilas, & corpora uasta leonum,  
 Et gryphes scutis inseruere suis.  
 Cur tamen his ornet clypeos regina uolucrum,  
 Dicite Pierij numina sacra chori.  
 Tempore, quo toti Romana potentia mundo  
 Regibus innumeris ac dominata fuit:  
 Infestos aciem quoties produxit in hostes,  
 Hanc uolucrum turmis prætulit ipsa suis.  
 Hac una uoluit legionum signa notari,  
 Hac uoluit regni significare decus.

Nam

Nam uelut exuperat cunctas regina uolucres,  
Altius & reliquis omnibus una uolat :  
Sic etiam totum frenarat legibus orbem  
Abdideratq; polo martia Roma caput.  
Mansit in Imperio mos ille, fuitq; retentus  
Cæsaribus, quotquot scepra tulere manu.  
Nam cunctis clypeo uolucrem gestare Tonantis  
Ceu decus Imperij nobile, cura fuit.  
Hinc proceres, quorum studio respública creuit,  
Hoc etiam signum nobilitatis habent.  
Imprimisq; Duces, quibus est concessa potestas,  
Inclyta Cæsaribus tradere scepra nouis.  
Quos inter dudum claræ præconia famæ  
Marchia culta tui promeruere Duces.  
Illorum uirtus multos laudata per annos,  
Siue togam spectes seu fera bella, fuit.  
Ergo nec immerito signat Iouis armiger illis  
Nomine uirtutis quæ monumenta gerunt.  
Admonet hæc uolucris, quam nunquam fulmina  
Esse Dei tutos numine sæpe Duces. (tangunt,  
Nam genus heroum coelestibus utitur armis,  
Ceu fecit uatum turba uetusta fidem.  
Ægide Palladia munitus prælia Perseus  
Miscet, & horrendo uictor ab hoste redit.  
Cum peteret raptam tellus Argiua Lacænam,  
Et Phrygiæ bellis depopularet humum :  
Mulciberis fabricata manu Nereia mater  
Dicitur Alcidaæ scuta dedisse suo.

Sæpius

Sæpius his medios uitauit tela per hostes,  
 His docuit ualidam regibus esse manum,  
 Scilicet à superis heroum diua propago  
 Tecta, subit casus inuiolata graues,  
 Ceu uolucrum regina polo se condere gaudet,  
 Nec tamen ardenti læditur igne louis,  
 Marchio Teutonici cognomine dictus Achillis,  
 Cui tulit haud similem Teutonibus ora Ducem,  
 Non toties fausto fecisset prælia Marte,  
 Numine seruatus ni comitante foret.  
 Ipseque cum Scythicos Ioachimus uinceret hostes,  
 Cognouit superum se bonitate regi,  
 Innumeros etenim, non multo milite cinctus,  
 Vicit, & indomito contudit ense Getas,  
 Nunc leo, qui uarijs præstas animantibus unus,  
 Cur signes huius stemmatis arma, canam,  
 Magne leo, generose leo, qui sidera fulges  
 Inter, & eximiae munera laudis habes,  
 Qua nam uoce tibi pangam præconia? quo nam  
 Carmine uirtutes enumerabo tuas?  
 Parcere subiectis & debellare superbos,  
 Tu proceres morum nobilitate doces,  
 Tu si forte ruis medios uiolentus in hostes,  
 Hos, quibus est animus te superare, premis,  
 Quos tibi subiectos demisso poplite cernis,  
 His tua non unquam nobilis ira nocet,  
 Dedecus esse putas hostem calcare iacentem,  
 Tundere deuictos dedecus esse putas.

B

Hostibus

Hostibus haud tergo sed forti pectore semper  
Notus es, & iusto praelia Marte facis.  
Non imbelle genus, non mollia corda laceffis,  
Non in foemineum concipis arma chorum.  
Magna decent magnos, magnum iuuat esse leonem,  
Mollibus idcirco non fera bella paras.  
Discite, qui geritis praestantia signa leonis,  
O magni similes illius esse Duces.  
Parcite subiectis, & debellate feroces,  
Officium iusti Principis illud erit.  
Plurima uirtutum uestigia, numina nobis  
In non mansuetis exhibuere feris.  
Quae sapiens oculis ac tota mente frequenter  
Aspicit, & mores corrigit inde suos.  
Nunquam saeva gerunt inter se bella leones,  
Iungit inhumanas gratia tanta feras.  
At proceres, rerum quibus est commissa potestas,  
Ciuii tingunt saepe cruore manus.  
Horresco repetens animo ciuilia nuper  
Bella per Imperij quae caluere plagas.  
Quam fuerat satius tantam conuertere flammam  
In uacuos omni religione Getas.  
Qui dum nostra iacent ciuilibus obruta bellis  
Regna, suas faciunt crescere semper opes.  
Ac nili dispersas iunget Germania uires,  
Hei mihi quam magna uulnera clade feret.  
Defendit catulos obiecta mole leaena  
Corporis, & soboli non nocet ipsa suae.

Vos

Vos ita commissam uobis defendite plebem,  
Qui cupitis clarum nomen habere, Duces.  
Sæuit inextincto metuendus Turca furore,  
Sæuit & assiduo bella nefanda parat,  
Vt catulos diri discerpat faucibus oris,  
Protectos uobis quos cupit esse Deus.  
Huc, si bella placent, uestrum conuertite robur,  
Hic campus uestris laudibus aptus erit.  
Viscera ciuili non lædite propria ferro,  
Commoda ciuilis nulla tumultus habet.  
At non Marchiaco proceres de stemmate nati  
Intestina feri femina martis alunt.  
Sed pacis cupidi, solidæ uirtutis amantes,  
In patria curam religionis agunt.  
Promulgentq; pias ceu publica uincula leges,  
Accumulant largas atq; decenter opes.  
Hæc ratio magni seruat consortia cœtus,  
Hæc ratio patriam uiribus auget humum.  
Pergite Pierides insignes dicere Gryphos,  
Exornant horum qui monumenta Ducum.  
Si fas est aquilas & splendida signa leonum  
In procerum clypeis obtinuisse locum:  
Cur non & Gryphes numero ponantur in illo,  
Qui pennas aquilæ, terga leonis habent?  
Si celerem spectes quo findunt aëra cursum,  
Non cedent uolucris Iuppiter alme tuæ.  
Si cupias illos adoriri uiribus hostem,  
His dices nullam posse nocere feram.

B ij

Non

Non equus aut Elephas illi se cominus infert,  
Non draco, non præstans unguibus ipse leo.  
Nidificant aliæ per mollia prata uolucres,  
Constringuntq; leui spinea tecta luto.  
At non serpit humi Gryphus, non uilia condit  
Atria, sed mira conficit arte domum,  
Quam non è stipulis, puro sed construit auro,  
Occupat & celsæ rupis in arce locum,  
Deficit haud illi uariarum copia rerum,  
Quicquid & in uiridi colligit Indus aqua.  
Splendida collucent preciosis atria gemmis,  
Vix tibi Crœse domus tam bene culta fuit.  
Quas congescit opes studio uigilante tuetur,  
Non impunè queas hanc spoliare feram.  
Attamen interdum de nido labitur aurum,  
Accola uicinam quod legit inter humum.  
Conuenit heroas mundi rerumq; potentes  
Diuitijs plenas incoluisse domos:  
Nam Ducibus tales neruos Deus addidit ipse,  
Grandè quibus regni sustineatur onus,  
Non uiles habitare casas decet inclyta regum  
Pectora, uel claros nobilitate Duces.  
Nam dominum splendore decet præcellere plebi,  
Phœbus ut æthereas eminet ante faces.  
Ergo diuitias teneant ceu munera diuum,  
Conseruent partas & sapienter opes.  
At uelut e nido Gryphorum decidit aurum,  
Rupe sub exesa quod queat arte legi:

Defluat

Defluat haud aliter procerum de sedibus altis,  
Vnde parum felix possit egenus ali.  
Vnde queant pietas & Musica castra foueri,  
Diuitijs illum conuenit esse scopum.  
Hæc ego cantabam stagnantis ad Albidos undam,  
Dum canis accensos ureret ustus agros.  
Scribendiq; simul studio defessus & æstu,  
His finem clypeis impositurus eram.  
At celebranda meæ restabant plura Camœnæ,  
Nec labor ex omni parte peractus erat.  
Ergo nec insignes campos nec sceptrâ tacebo,  
Est quibus hæc etiam nobilitata domus.  
Area lata patet, duplici distincta colore,  
Diuerfas partes ater & albus habent.  
Candidus, esse Duces pulcra bonitate probatos,  
Nec male fucatum pectus habere, iubet.  
At niger ostendit, clementi pectore tantum  
Publica non semper frena ualere regi:  
Sed miscenda bono, clementia iura seueris  
Temporis ac rerum pro ratione, Duci.  
Aurea sceptrâ notant celsæ uirtutis honorem,  
Qui dominos tollit Marchia clara tuos.  
Namq; uiros inter septem, qui tempora cingunt  
Cæsaribus, pulcrum promeruerunt locum.  
Hinc ea nunc monumenta gerit Ioachimus, & armis  
Et bene laudatæ nobilis arte togæ.  
Quem stupet & uitreis obseruat Sueuus in undis,  
Ipseq; piscosæ rector Hauelus aquæ.

B 3

At ge

At generosa rofas quare gerat ista propago,  
Hic quoq; non tacitus præterisse uelim.  
Nam rosa Principibus merito gestanda uidetur,  
Incertas rerum quod monet esse uices,  
Illa uelut subito producit in aëra florem,  
Qui subito Phœbi læsus ab igne cadat:  
Sic fortuna Duces interdum tollit in altum,  
Ut rursus lapsu præcipitante ruant.  
Quisquis es, haud fidas opibus rebusq; secundis,  
Hæc enim dubia fors leuitate rotat.  
Perpetuas animi dotes præferre memento,  
His fortuna nihil quod dominetur habet.  
Appete uirtutem, quæ claræ nomina famæ  
Comparat, & superis te facit esse parem.  
Dilige Pierides, facundos dilige uates,  
Qui tua uicturo carmine gesta canant.  
Talia Marchiaci proceres documenta sequuntur,  
Dum Musas uera cum pietate colunt,  
Et uirtute sibi pariunt præconia laudis,  
Quæ non ulla queat comminuisse dies.  
Hos igitur merito conabor dicere uersu,  
Cum fuerint studijs ocia iusta meis.  
Enumeransq; Duces, cunctis encomia texam:  
Ista uoluntatis sint modo signa meæ.  
Da Deus, interea traducant molliter æuum,  
Qui de Marchiaco stemmate nomen habent.

F I N I S.



VITEBERGAE  
EXCVDEBANT HÆRE  
DES GEORGII  
RHAVV.  

---

M. D. LVIL

19 41486 67

(47206650)

VITBERGAE

EXCERPTA


DES GEORGII

R. H. A. W.

M. D. L. VII







Vg  
4486

INSIGNIA  
ILLVSTRISSI-  
AE ET INCLYTAE FAMI-  
LIAE MARCHIONVM BRAN-  
deburgensium, Elegiaco carmine  
celebrata, a

IOHANNE SCHOSSERO  
Poëta Laureato.

Cum Præfatione  
PHILIPPI MELANTHONIS.

VITTEBERGÆ,  
ANNO M. D. LVII.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SALLE)

